



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De eadem re. xvi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

nati homines, dum esse summa & inuisibilia audiunt, diffidunt an vera sint: quia sola hæc in quibus nati sunt, infima & visibilia nouerunt. Vnde factum est, ut ipse inuisibilium & visibilium creator, ad humani generis redemptionem vnigenitus patris veniret, & spiritum sanctum ad corda nostra mitteret, quatenus per eum viuificati crederemus, quæ hic scire per experimētum non possumus. Quotquot ergo hunc spiritum sanctum hæreditatis nostræ pignus accepimus: de vita inuisibilium nõ dubitemus. Quisquis autem in hac credulitate adhuc solidus non est, debet proculdubio maiorum dictis præbere fidem, eisq; iam per spiritum sanctum inuisibilium experimentum habentibus credere: quia stultus puer est si matrem ideo æstimet de luce mentiri, quia ipse nihil aliud quàm tenebras carceris agnouit.

Quod nullus per semetipsum bonus fieri possit.

Caput XV.

Neminem esse per semetipsum bonum, nisi participationem sui ille donet, qui solus est bonus. Nunquid nos de eorum post hæc rectum mentibus æstimemus, qui sibi se putant deberi quòd boni sunt, nec illum considerant, cuius quotidie gratiam consequuntur, qui sine illo tantum se assequi posse confidunt?

*Ex decre.
Celesti.
papa.*

De eadem re. Cap. XVI.

Neminem etiam baptismatis gratia renouatum, idoneum esse ad superandas diaboli insidias, & ad euincendas carnis concupiscentias, nisi per quotianum adiutorium Dei, perseuerantiam bonæ conuersationis acceperit. Nam quanuis hominem redimeret à præteritis ille peccatis, tamen sciens iterum posse peccare, ad reparationem sibi quemadmodum posset illum & post ista corrigere, multa seruauit. Quotidiana præstat ille remedia. Quibus nisi freti confisque nitamur, nullatenus humanos vincere poterimus errores. Neesse est enim ut quò auxiliante vincamus, eò iterum non adiuuante vincamur.

*Ex decre.
eiusdem.*

De eadem re. Cap. XVII.

Quòd ita Deus in cordibus hominũ, atq; in ipso libero operetur arbitrio, ut sancta cogitatio, piũ consiliũ,

*Ex decre.
eiusdem.*